



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt**

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali  
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

**Strunck, Michael**

**Neuhusii, 1715**

S. Mathildis Regina Germaniae

**urn:nbn:de:hbz:466:1-28481**

tertia ad agriculturam regredi, & glebam exercere visus sit. Plura ejusmodi vide apud Papebrochium in actis Ss. ad diem 2dam Februarii.

## S. MATHILDIS

Regina Germaniæ.

*Refertur cum titulo Sanctæ in Martyrol. Romano germanicè edito ad diem 14. Martii his verbis: Zu Halberstatt in Teutschland die Entschlaffung der heiligen Königin Mathildis des Kaysers Ottonis des Ersten Mutter: war in Demuth und Gedult fürtrefflich. Item ab Harao & Leuchtio in vitis Ss., Wione & Menardo in Martyrol. Benedictinis. Cum titulo Beatæ in Martyrol. Romano latino ad eandem diem, Papebrochio in Actis Ss. to. 2 Martii. Canisio in Martyrol. germanica. Schaten to. 1. Annal. Paderb. &c. Agunt de eadem Gelen. in fastis Agrippin. Molanus in addition. ad Vsuardum. Dithmarus l. 1 & 2. Widichindus Corbeiensis l. 3. Annal. &c. Westphalam esse testatur Papebrochius loc. cit. in Commentario prævio ad ejus vitam §. 1. n. 1. ubi sic habet: Mathildis parentes & majores usque ad ejus atavum Wittichindum vixerunt in regione inferiore Saxonix cis Visurgim, quam nunc Westphalam appellamus:*

O 5

ubi

ubi Vidua Mathildis avia paterna in Monasterio Herivordienſi Abbatiffa educavit hanc ſuam neptem B. Mathildem. *Idem conſtat ex ejus vita juffu S. Henrici Imperatoris (qui fuit S. Mathildis pronepos) olim ſcripta, & ex veteri codice Coloniendi Monasterii S. Pantaleonis eruta apud Papebroch. in actis Ss. loc. cit. ubi c. 1. n. 4. ſic de ea ſcribitur: à poſteris ergo ejuſdem Wittichindi egregii Ducis proceſſit ſtirps Beatiffimæ Mathildis, cujus pater nomine Thietricus in occidentali regione (id eſt, Weſtphalia ut ibidem notat Paperochius) Comes fuit glorioſus. Gobelinus, Meibomius in notis ad Annales Wittichindi Monachi, aliq; ſcribunt ejus patrem fuiſſe Comitem Oldenburgicum. Vitam compendio damus excerptam ex ea, quæ eſt apud Papebroch. ad diem 14tam Martii.*

**W**eſtphalicum ſanguinem Regni Germanici purpuræ prima commiſcuit B. Mathildis nobiliſſimorum Comitum Thiedrici & Rinhildis filia. Annos juventutis exegit Herivordiæ apud aviam paternam Mathildem viduam, quæ ibidem tunc Abbatiffa neptem ſibi cognominem ſtatim à maternis liberibus magnis deſideriis ad ſeſe depopſcerat. Ab hac inter alterna orandi ac laborandi ſtudia ſanctiſſimis moribus & omni exercitio

cicio

citio muliebri ita instituta est , ut Otto Dux  
 Saxonix evulgatâ ejus virtute dignam duce-  
 ret, quam filio suo Henrico, ut vocant, Aucu-  
 pi uxorem daret. Nuptiæ celebratæ [a] Wal-  
 hufii in Thuringia : donatum Mathildi, quid-  
 quid ad eam civitatem pertinet : Otto socer  
 triennio post, nimirum anno 916 è vivis exem-  
 ptus : Henricus non modò paternæ ditionis  
 hæres factus ; sed etiam Conrado Germaniæ  
 Regi (postquam is anno 918 fati concesser-  
 rat) in imperio subrogatus , ipso Everardo  
 Regis defuncti fratre armillas, chalydem,  
 diadema, gladium, & reliqua Regni insignia  
 ad Henricum deportante. Magnum utrique  
 conjugii devotionis ac humilitatis calcar erât  
 honores tanti. Et Mathildis quidem, præ-  
 terquàm quòd per dies singulos non parùm  
 temporis pietati daret, etiam nocturnis per-  
 sæpe spatiis furtim se subducebat de Regis la-  
 tere, ut interim orationi vacans quietiùs cum  
 Deo ageret. Mundum & ejus oblectamenta  
 habebat in contemptu maximo ; quantòq;  
 sublimiùs eam supra alios fortuna extulerat,  
 tantò ipsa submissiùs sese deprimebat, amore  
 illius supremi Domini , qui dicit Matt. II :

*Discite*

[Walbusium ad Helmam fluvium in confinis Mans-  
 feldiæ & Thuringiæ.

*Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.*  
 Matrem in ea experiebantur non solum pau-  
 peres, in quos liberali manu stipem & elee-  
 mosynas; sed etiam homines de plebe cæte-  
 ri, in quos affectu maximo charitatis mater-  
 næ viscera effundebat. Erga reos & propter  
 facinora severis carceribus mancipatos tan-  
 tâ ferebatur misericordiâ, ut magis penè in-  
 dolesceret eorum infortuniis aut malefactis,  
 quàm ipsi suis. Vix gaudii & hilaritatis ali-  
 quid priùs admittebat à Rege conjuge, quàm  
 aut veniam iis exorâisset, si expediret; aut  
 certè hujus animum ad supplicii aliàs infe-  
 rendi mitigationem suo patrociniò inclinâ-  
 set: *in quo enim judicio judicaveritis, solebat  
 dicere, judicabimini, & in qua mensura men-  
 fueritis, remetietur vobis.* Neque dissentiebat  
 ab his Reginæ studiis voluntas optima Hen-  
 rici conjugis. Unus illi in Christum amor,  
 una in proximos Charitas, unus in bono fer-  
 vor, & una concordia: adeò ut oculos suos in  
 mortem postremò occlusurus ingenuè de se  
 fateretur, illius se hortamento à via iniquita-  
 tis ad boni rectiq; semitam sæpius revocatum  
 esse. Et sanè vel idcirco fortasse visus est tan-  
 tos à Deo favores & beneficia paucis conce-  
 sa etiam post mortem consequi. Ut enim ta-

ceam,

ceam , quòd in vita semper victor Danos ,  
 Sclavos , Bohemos , Bavaros regna plurima  
 ditissimáq; felicibus armis subjugaverit ; nul-  
 lam ex hac sancta conjuge prolem genuit ,  
 quæ non ad magna dignitatum fastigia & ho-  
 nores admota fuerit. Otto primogenitus  
 regnum Germaniæ post patrem consecutus  
 est , tandémq; à Supremo Pontífice corona-  
 tus Imperator. Henricus 2dò genitus Duca-  
 tu Baviariæ à fratre impertitus. S. Bruno na-  
 tumimus Archiepiscopali infulâ decoratus  
 Coloniæ, & propter eximia sanctitatis ac vir-  
 tutum ornamenta Divorum catalogo postea  
 adscriptus. Reliqua proles fæmella magnis  
 etiam Principibus Ducibúsq; in matrimoniũ  
 collocata. Ità Deus suorum repensat meri-  
 ta, neque se vinci ab iis patitur amore ac libe-  
 ralitate. Tandem cùm piissimus Rex & con-  
 junx [b] Romam iter facere decrevisset, ibi-  
 démq; exemplo Caroli Magni victoriarum  
 suarũ trophea ad Ss. Apostolorum aras Deo  
 consecrare ; illapsa gravi ægitudine viã uni-  
 versæ carnis adire compulsus est anno 936 die  
 2da Julii , defunctus [c] Memlebiæ in Thu-  
 ringia ; sepultus autẽ, uti postulaverat Qued-  
 lin-

[b] *Witichindus Corbeiensis l. 1. annal. in fine.*

[c] *Memlebia ad Unstrutum fluvium.*

linburgi in Basilica. Acerbissimas hæc fata inu-  
lacrymas Mathildi expressere, tum propter dui-  
amores integerrimos, quibus se mutuò sem- frat-  
per complexi fuerant; tum præsertim, quòd huc  
videret, quantis mors illa fratrum discordiis Re-  
facem subditura esset, hinc Ottone, inde reb-  
Henrico filiis paterni imperii sceptrâ affe- cor-  
stantibus. Itaque malis hisce ut maturè oc- ali-  
curreret sancta mater ac vidua, fratres am- ma-  
bos, dum cadaver Henrici patris adhuc inhu- fed-  
matum staret, ad se vocatos unà cum lacry- clac-  
mis cœpit alloqui: *O Filii mei charissimi, oro* pa-  
*vos & obtestor iterum per has exuvias Genitoris* lici-  
*vestri: Deum timete, & ipsi servite soli, in cuius* suo  
*manu sunt omnium iura regnorum. Absit, ut* Eco-  
*contendatis invicem de honore, heu! nimium stu-* tan-  
*xo & caduco. Ecce! hunc finem habet univ[er]su-* est  
*mundi gloria: & beatus ille, qui sibi preparat æ-* tess-  
*terna, quæ nunquam desinunt. Neque multum* hos  
*contendite, uter vestrum futurus sit, in cuius ver-* stea-  
*ticem imperii corona se demittat; sed potius tene-* Imp-  
*te ac custodite illud Christi: omnis qui se exaltat,* di  
*humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* con-  
Sed parùm hæc matris beatæ monita apud fi- Ma-  
lios initio profecere. Ottone ex patris [d] bus  
defuncti designatione ad imperium evecto inun-

[d] Witichindus l. 1, Annal. in fine.

inunctoq; , funestâ æmulatione mox infren-  
 duit Henricus 2dò genitus , regnum sibi præ-  
 fratre deberi dictitans , quòd hic à patre ad-  
 huc Duce tantùm ; ipse verò ab eodem jam  
 Rege in lucem procreatus esset. Tracti in  
 rebellionis partem [e] Everardus Dux Fran-  
 conix , Gisbertus Dux Lotharingix ,  
 aliique plures. Certatum annis aliquot  
 magnis quidem adversantium animis ;  
 sed fortunâ impari. Henricus post varias  
 clades Ingelhemii in arctam custodiam com-  
 pactus. Ex qua cum altero demum anno fe-  
 liciter elapsus esset, atrâq; indutus veste fratri  
 suo [f] Francofurti sub Christi natalitia ad  
 Ecclesiam procedenti supplex advolveretur,  
 tandem in gratiam clementissimè receptus  
 est, & Ducatu Bavarix in amicitix perennis  
 tesseram impertitus. Exinde tam arcta inter  
 hos ambos concordia & amor coaluit, ut po-  
 stea neminem in Germania habuerit Otto  
 Imperator, qui majori fide & ardore militan-  
 di adversùs communes regni hostes arma  
 conjungeret. De cætero amborum mater B.  
 Mathildis post obitum defuncti conjugis, re-  
 bus omnibus, quæ mundi sunt spretis negle-  
 ctisq;

[e] Witichindus l. 2. *Annal. pag. 18 & seq.* [f]  
 Schaten to. 1. *Annal. pag. 284.*



Etisq; se totam Deo ac virtuti tradidit, castro  
 in quo ille è vivis excefferat, in cœnobium  
 verso. Pudicitiam imprimis statui viduam  
 consentaneam tantà curabat sollicitudine, ut  
 omnes Virginem fuissent arbitrati, nili ex  
 prole Regia de ejus fœcunditate constitisset.  
 Somno cibòq; nihil indulgebat amplius  
 quàm naturæ necessitas postularet. Orationi  
 multò, quàm aliàs addictior erat: cui ut in-  
 cumberet magis inobservatè, [g] cubiculum  
 sibi delegerat haud procul ab Ecclesia, in  
 quam pro suo arbitrio posset ingredi, quatenus  
 docunque vellet. Vespertino tempore quatenus  
 quam haud secus atque alii ad quietem memo-  
 bra componeret: mox tamen, ut illos alto  
 sopore mersos adverterat, iterum surgebat  
 strato, famulamq; cubiculariam excitans sus-  
 penso gradu cum ea in templum se infero-  
 bat; ubi tam diu pernoctabat in sanctis pro-  
 cibus, dum totum Psalterium orando decure-  
 risset, nisi fortè id subinde impediret noctis  
 brevitatis. Tum silentio redibat ad cubicu-  
 lum, seseq; in sciis aliis perinde in lectum re-  
 trahebat, ac si noctis totius spatia dormiendi  
 exegisset. Sed & ibi vix paululùm conquie-  
 verat, cum iterum audito ad horas matutinas

campana

[g] Witichindus l. 3. Annal. in fine.

campanæ signo recurrebat ad Ecclesiam. Neque contenta erat ad finem Divinæ laudis unâ cum aliis ibidem permanere, sed etiam iis jam digressis man<sup>o</sup> oculósq; in cœlum tendens, non priùs invictum spiritum relaxabat ab oratione, quàm exoriens aurora noctis umbras pepulisset. Hinc rursus ingressa cubiculum aliquid captabat quietis, ne corpus necessario sopore defectum succumberet, Divinóq; famulatu fieret inidoneum. Interea [b] paulatim allabebantur pauperes, ut stipem caperent, quam ipsa quotidie liberali manu in eos dispensabat. Ad horum voces clamorésq; experrecta, mox illa somnos excutere, de strato exsilire, esurientes pascere, nudos vestimentis operire, omnibus misericordiæ suæ viscera affatim exhibere; non aliter, quàm si Christum ipsum sub aliena veste pasceret, tegetéq;. Tum deinde habitum suæ viduitatis induere, ad missam se accingere, ad Ecclesiam convolare, Divinis Sacrificiis interesse, nullúmq; interim aut verbum aut gestum edere, quo vel tantulúm à curis sacratoribus avocari mens Deo intenta posset. Non poterat dæmon tantam virtutem diu ferre in Sancta Vidua: mox varios con-

P

tra

[b] *In vita c. 3. à n. 13.*

tra ipsam obtrectatores concitat, qui Otto  
 ac Henrico filiis persuaderent, matrem ne  
 mis prodigè in pauperes liberalem esse; ne  
 scire modum in erogando, bona à defuncto  
 conjugè sibi assignata donatâq; magis pro  
 fundere, quàm dissipare. Erubuère ad hæc  
 audita boni Principes: & quis crederet ho  
 minum malevolorum linguis tam facile au  
 rem dari? Calumniis fides statim adhibita  
 filii in iras ac furorem versi, mater de conce  
 sis sibi possessionibus depulsa; bona, quæ in  
 pauperes effudisset, iniquè repetita; confi  
 tuti exploratores, qui eos, quorum auxilio  
 munera ad egenos mitteret, non modò spo  
 liarent rebus sibi traditis; sed etiam variis  
 contumeliis oneratos ad ipsam remitterent.  
 Gravissimum enim verò hoc vulnus erat Re  
 gali Viduæ, tantòq; acerbius, quòd etiam  
 Henricus filius, quem semper in amoribus  
 habuerat præ Ottone, tam iniqui facinoris  
 particeps & consors esset. Ferebat tamen  
 hoc ipsum animo constantissimo: imò per  
 ipsas injurias fiebat multò fortior; non secus  
 quàm si cum Davide diceret Ps. 117. *Domine  
 mihi adiutor: non timebo, quid faciat mihi hu  
 mo.* Leve existimabat coram oculis mundi  
 in opprobriis esse; modò non vilesceret

Christo

Christo Domino : neque aliud inter adver-  
 sa petebat solatium, quàm quod in precibus  
 ac oratione situm erat. Cùm sibi maledice-  
 retur; non maledicebat: suis imputabat me-  
 ritis, quidquid adversi permittente Deo illa-  
 tum esset: ne verbulum quidem sibi patieba-  
 tur excidere, quo in filiorum ausa graviùs ex-  
 candesceret; sed omnis oblita injuriæ hoc  
 unum tenebat in memoria: *quoniam per mul-  
 tas tribulationes oportet nos intrare in regnum  
 Dei.* Quòd si audiret aliquem aut suis mise-  
 riis indolere, aut ob injurias sibi illatas inge-  
 miscere, huic illa: *quòd ab Ottone filio tantas  
 ego persecutiones feram, flagitiis id meis tribuo.*  
*Quis autem illum Henricum meum adeò in me  
 concitaverit, nõrunt Superi: per hunc enim spe-  
 rabam fore, ut miseras meas faciliùs consolarer.*  
*Deus tamen ignoscat illi, nec referat pari par. Ego  
 illum, tametsi tam infensum mihi, ex corde diligo:  
 & utinam hæc mea persecutio ità cedat utrique  
 fratri, ut per mei oppressionem pax illis firma sit  
 & semper stabilis!* Tandem veto cùm filiorũ  
 suorum iras diuturnã patientiã suã nihil miti-  
 gari cerneret, sed magis ingravescere; dere-  
 lictis omnibus, quæ sibi defunctus conjunx  
 diplomate consignaverat, redit in Westpha-  
 liam ubi in ditione Engerensi, velut alii ex-

primunt, [i] Angriensi vitam diu tranquillam atque ab omni sæculari negotio alienam duxit.

Ex eo tempore Regis Ottonis res adeò pejus lapsæ sunt, ut unum ipsi ex alio malum incumberet. Fortuna belli retroacta, cursum victoriarum sufflaminatus, atque ut inquit [k] Henricus Bodo, *ex ipsis, quibus defendentibus robur belli accipere debuisset, Deus iudex justus illi regni turbatores suscitavit.* Magnus inde apud Cæsarem dolor, in Sacerdotibus Principibusq; conturbatio. Et quid tandem ad hæc consilii? facile in mentem veniebat iis, qui paulò sagaciores erant, injurias Mathildi inflictas unicam causam esse omnis infortunii; ac proinde monetur [l] Editha Cæsaris conjux, ut pro illa in imperium & res suas revocanda suam interponat operam. Quod cum Editha promptissimè faciendum in se susciperet. Ad prima statim de matris verba adeò immutat Ottonis animum, ut gravi compunctus pœnitudo omnino se

[i] Angria vel Engeria Engeren in Comitatu Ravensbergensi ubi Mausoleum B. Widekindi. [k] Chronico Gandersheimensi Ms. apud Meibom. [l] Editha gente Angla filia Eduardi, uxor Ottonis conjux.

um esse diceret, tantisq; à Deo flagellis justis-  
simè correptum. Nec mora : apparantur  
omnia, quæ ad Mathildem summis honori-  
bus reducendâ videbantur opportuna : mit-  
tuntur Episcopi, convocantur Duces, nomi-  
nantur milites, futuræ profectiois socii, adj-  
ciuntur literæ deprecatoriæ, quarum inter  
alia præcipuus [m] hic tenor erat : *Veneran-  
da Mater ac Domina : satis superq; hæctenus in-  
consultâ persecutione tuâ, Divina iracundia tela  
in nos evocavimus. Fatemur deliquisse nos, &  
summa in Te impietatis reos esse. Per amorem  
Christi da veniam delinquentibus, nobisq; remis-  
sionem sceleris à Divina misericordia iterum ex-  
posce. Libenter patimur quævis supplicia, modò  
tuâ gratiâ imposterum frui liceat. Revertere,  
oramus te, revertere, nec reditum differ in longa  
tempora. Quidquid in nostra potestate situm, id  
omne ditioni tuæ libenter substernimus; nec omit-  
temus actutum restituere, quod tibi nostro scelere  
injustè subtractum fuit. Non dies nobis, non  
hora unica poterit amœna esse, nisi contigerit te vi-  
dere, tuòq; aspectu & alloquio infelicitatem no-  
stram consolari. Incredibile dictu est, quantis  
lætitiis hæc epistola à Mathilde excepta &  
perlecta fuerit. Excidebat è vestigio omnis*

P 3

inju-

[m] In vita 6. 3. n. 15.

injuriarum memoria: atque ut postulatis fieri  
 continuo satisfaceret, nihil amplius morarum  
 passa, festinatis itineribus ad ipsum contem-  
 debat. Nec minus ille cum Editha conjugio  
 multoq; comitatu procedebat matri obviam  
 cumq; eam jam propinquiùs ad se adventan-  
 tem cerneret, continuo dejectus equo, fle-  
 xisq; genibus ad pedes offensæ matris provo-  
 lutus: *ô Mater!* inquebat, *unicum solamen  
 quietis mea, cujus solius meritis hæc mei imperii  
 præter accepta refero: impone mihi, quodcumque  
 placuerit supplicium; ego illud non recusato solvere  
 tantum ut liceat redire in tuam gratiam.* Jam  
 satis meo damno didici, quantum in te peccaverim.  
 Ex eo enim tempore, quo tu dejecta es a  
 tuis possessionibus, pessimum abiit omnis fortuna  
 vestra, & valentissimus in nos hostium terror in-  
 buit. E diverso Beata Mater decoros oculos  
 multis perfusa lacrymâs, osculum charitatis  
 præbebat Regi filio & quasi injuriarum nihil  
 perpessa sic eam maternis vocibus suaviter  
 consolata est. *Nolim hac de re contristeris  
 mihi: nisi enim facinorum meorum multitudo  
 postulasset, nequaquam sinistri aliquid mihi  
 expectandum erat. Ego peccavi, & has pœnas  
 merui, aut si quid etiam abs te commissum fuerit  
 quod sit affine sceleri, id tibi pro sua misericordia*

Deus indulgeat, qui paratus est misereri omni pœnitenti, si commissa ritè defleverit, & deplorata postmodum non admittat. Aberat hæc inter Henricus Matri dilectus unicè. Is ergo ut audierat, quid rei Mathildem inter & Ottonem fratrem actitatum esset, non minore ductus pœnitentia iter arripuit, atque in matris suæ conspectum veniens profundissima animi submissione : *Veneranda Domina*, inquit, *& si modo fas est dicere, mater charissima! Ecce hic jaceo coram te gravissima in te impietatis reus, & veniam supplex peto, quam non promeror. Oro tamen, & per nomen animamq; piè defuncti patris iterum oro; recipe indignum me in istam gratiam, è qua meo flagitio tam imprudenter excidi. Neque enim dubito, quin à Christo Domino faciliùs remissionem impetrem, si tu ex toto corde veniam dederis delinquenti.* Hæc inter cùm pii lacrymarum imbres Henrici supplicantis ora perpluerent, maternis visceribus intimè commota : *Fili mi Henrice, dicebat, noli flere! desiste fili, desiste: neque enim abs te audire potero talia lacrymantis & precantis verba: Accede propiùs, & à matre tua osculum amoris cape. Deus condonet tibi, quidquid in me deliquisti. Ego te, ut semper aliàs, ex corde diligo, satisq; compertum habeo, id omne, quod à te*



*commissum hætenus, ab hominum malevolorum  
 linguis profectum esse. Exinde in possessiones  
 pristinas Mathildis restituta est, tantâq;  
 ceptis matrem inter & hosce filios concordie  
 intercessit, ut una duntaxat illorum anima &  
 cor unum esse videretur. In matre elucebat  
 ardens in filios amor, in filiis sancta obedie  
 bat humilitas, in utrisque summa erat animo  
 rum & voluntatum conjunctio. Ità singulari  
 prosperitate fluebant anni aliquot; & pote  
 rat videri Beata Vidua præ multiplici gaudie  
 etiam in terris cælum reperisse, nisi iterum  
 feralis obitus Henrici filii, in quo hætenus  
 vivam spiransq; patris exemplar sibi propo  
 fuerat, mœrore ac lacrymis omnia comple  
 visset. Non ludos non comedias, non jocos  
 & sæcularia carmina sustinebat ex eo tempo  
 re: coccus omnis, & purpura, quam in sua  
 viduitate hucusque retinuerat, ita apud ipsam  
 in fastidium & contemptum ibant, ut tota  
 deinceps vitâ non aliò, quàm vestimento atro  
 ac lugubri induta processerit. Sola voluptas  
 erat, vel Psalmos cantando decurrere, ve  
 scripturarum lectioni mentem intendere, ve  
 aliquid de passione Christi & Martyrum cer  
 taminibus recitatum audire. Quidquid otium  
 ab oratione & officiis charitatis supererat, in  
 die*

diebus negotiosis terebat labore manuum :  
 cui tam impensè addicta erat, ut etiam [n] ci-  
 bum non antè caperet, quàm aliquid operis  
 laborando exegisset. Bis de die erogatis ci-  
 bis recreabat pauperes : insuper cum ad  
 mensam accedendum esset, lautissima quævis  
 fercula distribuebat in egentes ac peregri-  
 nos, quos cum in finem advocari iusserat.  
 Quocunque erat agendum iter, simul victum  
 deportabat pro pauperibus, ut sibi semper ad  
 manum esset, quod in obvios dispensaret.  
 Quòd si autem oculum ad hos advertere ipsa  
 non posset, lectionibus sacris aut aliis rebus  
 piis impedita ; alium constituebat interim,  
 cui severè in mandatis dabat, ne quem indi-  
 gentium absque cibo & elemosyna sineret  
 præterire. In oppidis & civitatibus, ubi per  
 hiemem confidebat, variis in locis curabat  
 instrui liberales focos, ut haberent inopes ac  
 miseri, ubi se ab inclementia frigoris ac ven-  
 torum possent defendere. Omni sabbatho  
 jubebat pro iisdem accendi balneum ; & si-  
 quidem sese à negotiis aliis tantisper subtra-  
 here posset, ipsa eorum sordes abluebat suis  
 manibus : si autem impedimenti aliquid oc-  
 currisset interim, illuc è puellari famulatio

P 5

suo

[n] In vita c. 4. n. 21.

fuo fidissimas ablegabat, quæ in hoc officium promptè succederent, & quidquid necessarium erat, studiosissimè accurarent. Expleto balneo ablutos compingebat in cubiculum & singulorum necessitates maternè pervidens, esurientibus cibum, oppressis pecuniam, nudis ac malè tectis vestimenta liberali manu ac munificentia porrigebat. Nec minor exhibebat beneficia personis Deo sacris ac religiosis: præterquam enim, quòd his omnia, quæ ad victum pertinent, sollicitè procuraret, etiam varia seu Collegia seu Monasteria cum consensu & opera filiorum condidit; Unum Poledense Clericorum, & tria Virginum Quedlinburgi, [o] Memlebiæ & Northusii: non alio sanè consilio, quàm ut Numinis supremi laudes ibidem inter religiosa vitæ secretioris otia perpetuò resonarent. Talibus virtutum studiis ad senium usque pie occupatam incessit tandem gravis infirmitas ex qua cum ad extremam vitæ lineam paulatim se admoveri persentisceret, Quedlin-

[o] Pro Memlebiensi ponit Henricus Bodo & ex eo Schaten Confugiensi Rauffungen in Hassia prope Cassellas; sed error est, cum hoc sit fundatum à S. Cunegunde Imperatrice, vide Bolland. in notis præviis ad vitam S. 2. n. 7.

burgum sese properatò contulit, ut ibi mortem caperet, ubi exuviæ defuncti conjugis quiescebant. Evocabat eòdem fidissimam sibi Richburgem, olim famulam, tunc autem Nordhusii Abbatissam, ut sibi inter supremæ ægritudinis molestias ab auxilio & ministeriis esset. Interim adveniebat Moguntiâ Wilhelmus ejusdem Sedis Archiepiscopus & Beatæ Mathildis nepos ex Ottone filio, & Editha conjuge. Hunc ubi præsentem vidit mulier Sancta, magnis perfusa gaudiis rogat, ut sibi confitenti aurem paulisper accomodet. Paret ille, peractòq; Missæ sacrificio etiam sanctissimis Eucharistiæ & extremæ unctio- nis Sacramentis ægram impertit. At quia evolutò triduo mortem aviæ nondum adeò vicinam esse compererat, aliò tantisper viam accelerat, uno è suis Clericis ibidem remanere jussò, qui morienti posset assistere, si fortè spe sua citiùs ex humanis arbitura esset. Verùm quàm incertæ sunt omnes mortalium vices? abeunti Mathildis pallium mortuale suæ aliàs sepulturæ destinatum in tesseram amoris porrigit, simulq; Richburgi suæ occultò aperit, fore ut ipse prior indigeat apparatu illo; difficillimum ab eo nunc iter suscipi, semperq; in ambiguo esse, quando vel quor-  
sum

sum se evolavit alea vitæ nostræ. Maximè  
 gratiis acceptabat hoc donū a viæ Wilhelmi  
 Præsul, præmissaq; benedictione recedens  
 ab infirma, silentio dicebat ad circumstantes  
*Proficiscor hinc ad tempus aliquod; unum tamen  
 è meis Clericis hic relinquo, ut si fortè nostra avia  
 fato maturius concederet, nuntium mihi mortis  
 ferat. Tunc enim revertar ocyus, magnisq; ut par  
 est, honoribus extinctum corpus sepulchro com  
 mendabo. At illa, veluti si loquentem auscul  
 tâset, iterum è lecto caput erigens, non est  
 opus, inquit, ô Wilhelme, ut Sacerdos iste hoc  
 loci multum expectet: tecum abeat: plus, quam  
 ego, illius indigebis isto in itinere, quod tibi ineu  
 dum est. Ite in pace Christi. Nec vatem fefellit  
 eventus. Mox enim, ut ad terminum præfixi  
 itineris allapsus erat, sumpta potione medica  
 fato repentino diem clausit, & mortem Bea  
 tæ aviæ sua morte antevertit. Aderat pro  
 pediem tam funesti exitii nuntius; cùm  
 omnes penderent animo, qua opportunitate  
 Mathildem de insperato hoc obitu certiores  
 facerent, illa voces eorum antecapiens: quid  
 inquit, intra vos mussitatis clanculum? cur  
 eventum hunc tristem mihi celatum vultis? Wil  
 helmus obiit! precipite compulsari campanas Ec  
 clesiæ, atque ad eleemosynam congregari pauperes,*

ut pro ejus anima apud Deum intercessores fiant. Inde Beata Vidua duodecim adhuc dies superstes fuit usque ad Sabbathum post Dominicam Iam quadragesimæ : quo die cum sibi de vita emigrandum esse præcognosceret, primo statim diluculo excitatis iis, qui sui corporis custodes erant, jussit ejusdem monasterii sacras Virgines & Sacerdotes ocyùs ad se adduci, ut, quæ agenda essent, jam perficerent. Confluebat unà cum his ingens frequentia populi : Mathildis tamen arceri neminem ab ingressu voluit ; sed omnibus, quotquot erant, intromissis, *servite*, inquit, *Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Declinate à malo, & facite bonum, ut sub extremam horam animæ vestre ab insidiis diaboli eripantur, & æterna vobis præmia à Deo donentur.* His dictis jussit omnes facessere de cubiculo, iis solùm exceptis, quorum opera ac ministerio sibi ad hunc vitæ articulū opus foret ; statimq; conversa ad neptem suam Mathildem, quæ ibidem Collegio Virginum Abbatissa præerat, monuit, ut esset pia, humilis, prudens & circumspecta ; ut commissum sibi gregem sollicitè custodiret ; ut de monasterio, in quo Di-

vino

vino cultui consecrata esset, raro egredere-  
 tur, ne forte per externorum consuetudinem  
 animi sui fervor in Dei servitio elangueret.  
 Magnos hæc verba motus excitabant non so-  
 lum in suæ neptis animo; sed etiam in Rich-  
 burge sibi semper fidelissima: idcirco in terrâ  
 procidens, & morituræ pedes multis ample-  
 xa lacrymâs: *Itane, inquebat, o mea Domina,*  
*congregationem istam, cui indignam me præesse*  
*voluisti, tuo discessu deseres? quod mihi præsidium*  
*quæ tutrix erit te amissâ?* Ad quæ Mathildis  
*commendo vos supremo omnium defensori Deo*  
*neque in terra etiam alienis vos relinquo; sed Ot-*  
*toni filio, aliisque nepotibus nostris.* Cùmque illa  
 fleret amplius, diceretque, ambiguum esse, quò  
 se vertat inclinèturque illorum favor; Mathildis  
 plorantem consolatur, *si, inquit, humana vos*  
*præsidia penitus deficiant, quò tandem adverten-*  
*da est spes nostra, nisi ad solum Deum? querite*  
*primum regnum Dei; & hæc omnia adjicientur*  
*vobis.* Confido planè filium meum Ottonem pro-  
 missionis mihi sæpius factæ haud immemorem fo-  
 re, vobisque omni auxilio adfuturum. Quòd si al-  
 quis de vestris facultatibus, quas ego ex mea par-  
 tate comparsi, quidquam injustè detrahat; vi-  
 deat quid olim respondere velit illi iudici, qui se-  
 veram de rebus omnibus rationem exiget? Hæc

ubi prolocuta fuerat, accersito Sacerdote iterum à peccatis expiari petiit, & sanctissimo Christi corpore in viam æternitatis communi. Tum deinde monebat circumstantes, ut sese in preces darent, & pro felici excessu suæ animæ Deum obsecrarent: ipsa interim ab omni sermone contiscens, oculis manibúsq; in cœlum sublevatis. Deo se totam immergebat usque ad horam nonam. Hæc appetente jubebat cilicium humi sterni, corpus moribundum de lecto extrahi, in cilicio membra collocari; propriisq; manibus cinerem imponens suo capiti: *non decet*, inquit, *hominem Christianum mori, nisi in cinere & cilicio*: statimq; signo sanctæ crucis se ipsam præmuniens, placidissimè obdormivit in Domino anno 968 die 14ta Martii eadem illâ horâ, quâ consueverant mendici ac pauperes de ejus liberali manu stipem capere. Corpus ejus, uti rogaverat [p] ibidem sepulchro datum est in basilica Sancti Servatii ad latus Henrici conjugis. Labet hîc admirari inconsultam fidem Evangelicorum (si Diis placeat) nostri temporis, qui ex monumentis historiæ veterum tam eximia antiquæ religionis ac pietatis exempla recolunt; nec tamen

[p] *Quedlinburgi.*



men colunt : tanquam si magnæ illæ Imperatorum, Ducum, Principum, Matronarum ac Virginum animæ nusquam verâ Evangelii luce perfusæ fuerint !

## S. MEINOLPHUS

### Ecclesiæ Paderbornensis

Archidiaconus.

*Refertur cum titulo Sancti à Canisio in Martyrol. Germanico, Molano in Martyrol. Usuardi Gelenio in fastis Agrippinensibus, Heriberto Rorvweydo in fastis Sanctorum, Surio & aliis ad diem stam Octobris. Vita ejus manuscripta habetur in Bibliothecis, Cathedrali Paderbornæ, Collegii S. I. ibidem, Carthusiæ Colonienfis, Cænobii Hardehusani, Bodecensis, & Abdinghoffensis, quarum ultima eam descripsit & in lucem protulit Adolphus Overham Abbatia Werthinensis Ordinis S. Benedicti Religiosus. Idem in suis notis ad hanc vitam breviter illius patriam indicat hisce verbis : S. Meinolphus in Diocesi Paderbornensi loco in primis nobili natus inter indigentes illius Ecclesiæ Divos meritò numeratur. Annum nativitatis scribit Gobelinus vel ejus Paderbornensis*